



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 131. Bellarmini tractatus de Pontificis potestate in Senatu Parisino proscriptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. splendescit, ejusque fummo concitati
 A. C. 1610. non pauci privatim avidius inquirunt
 & perlegunt publice castigata.

§. CXXXI.

*Bellarmini tractatus de Pontificis po-
 testate in Senatu Parisino
 proscribitur.*

*Argentre
 collect. Jud.
 tom. 2. p. 19.
 Merc. Gal-
 lobelg. An-
 nal. tom. 6.
 hb. 4.*

Idem ferme fatum subiit Lutetiæ Pari-
 siorum Bellarmini Cardinalis tracta-
 tus de potestate summi Pontificis in rebus
 temporalibus adversus Guilielmum Bar-
 claium; hoc enim anno Ludovicus Ser-
 vinus Regiæ Curia Advocatus urgente
 Richerio hunc librum tanquam Regiæ
 Autoritati & Franciæ Regno nocivum
 denunciabat, ac coram Parisini Sena-
 tus Patres totam illius Synopsin expo-
 nebat, præcipue in eo suggillans, quod
 a Gregorii VII. tempore plures Impera-
 tores, Regesque per Pontifices & Con-
 cilia anathemate, nullo ex illis recla-
 mante Principe, percussos recenseat,
 subjungens: *Quid hic Barclaius diceret?
 si hæc non est Ecclesiæ Catholicæ vox, ubi
 obsecro eam inveniamus?* Postea Servi-
 nus exagitabat doctrinam Bellarmini de
 potestate Pontificia indirecta in Reges
 hæreticos & eorum subditos a juramento
 fidei solvendos: hocque dogma mini-
 me tolerandum ajebat in Galliis, ubi
 Henri-

Henricus III. & IV. *pacificationis* edicta a Sæc. XVII.
 Senatu confirmata promulgarunt, vi A. C. 1610.
 quorum existimatæ Reformationis Se-
 ctatores tolerandi sunt. Præterea exem- 4. Reg. c. II.
 pla a Bellarmino allata de Jojada Pon-
 tifice, qui Athaliam Reginam exaucto-
 rari & Jojas Regem substitui jussit, elu-
 furus ait, hanc duntaxat esse V. Testa-
 menti Historiam nostræ ætati non ac-
 commodam, hancque Reginam non le-
 gitimam, sed Usurpatricem fuisse: cum
 autem Bellarminus pariter adduxisset
 exemplum Childerici Regis per Zacha-
 riam Pontificem, subrogato Pipino,
 exauctorati, respondit Servinus, hoc
 rebellionis ab impiis Gallis concitatae
 exemplum non esse in sequelam addu-
 cendum. Carpebat insuper Bellarmi-
 num, quod his Innocentii III. verbis:
nonnulli Principes nullum inter homines su- cap. Vene-
periores agnoscunt, hæc verba, excepto rabilem.
Romano Pontifice de suo addiderit, cum
tamen hic Papa dixerit, Rex Franco-
rum superiorem in temporalibus minime re-
cognoscit, quamvis antea idem Ponti-
fex dixisset, cum Rex ipse Francorum in
spiritualibus nobis subjaceat, tu Montpes-
fulane & nobis eris subjectus &c. Quo-
 niam vero Bellarminus asseruit, quod
 si Imperator contra hæreticos gladium
 stringere nolit, etsi res sit ad bonum
 spirituale necessaria, tunc Papa *cogat*
illum

Sæc. XVII. *illum censuris, & si non movebitur, exci-*
A. C. 1610. *gente necessitate subditos ab obsequio solvet;*

eique imperium abrogabit: ex his verbis Servinus nuperi Regicidii rationem a Ravaillaco allatam Senatoribus obtu- dendi occasionem arripuit, simulque hanc Bellarmini propositionem pertrinxit: Quod iste sit Rex potius quam ille, non Dei specialis jussio, sed hominum voluntas fecit. Postea Servinus fusa oratione exempla a Bellarmino allata confutans ac opposita Theologorum testimonia referens, tandem Curia Patribus supplicabat, ut indicta perduellionis poena hunc librum typis imprimi, impressumque asservari, aut vendi prohiberent. Hæ Servini rationes tam efficaces Regiis Senatoribus videbantur, ut hunc tractatum tanquam falsa, erronea, detestanda, & seditiosa continentem die vigesima sexta Novembris publico edicto damnarent: cum ergo non pauca hujus libri exemplaria ad Senatum juxta ejus mandatum deferrentur, ideo decretum, ut ea in loco supplicii destinato, publice per carnificem comburerentur. Præterea Richerius coram Facultate Theologica proponebat, quod priori anno P. Sebastianus Heissius Jesuita in suis Aphorismis doctrinæ Jesuiticæ, propugnare ausus esset, quod Jesuitis non minus conveniens sit, sese exauctorati-

*Abregé de
l'hist. Eccl.
t. 10. p. 233.*

tioni Principum ingerere, quam contra Sæc. XVII.
 pestem medicinam præscribere. Postea A. C. 1610.
 Ravallaci confessionem exaggerans,
 livido dente in P. Gonterium itidem Je-
 suitam invehebatur, affirmans, quod
 hic in suis sermonibus cunctos suæ do-
 ctrinæ adversantes infectatus illos per lu-
 dibrium *Catholicos Regios* nominarit,
 perinde acsi hi novam in Ecclesia exor-
 tam sectam conficerent, idem quoque
 in Belgio a P. Heriberto Rosweido pro-
 pugnatum fuisse (*), asserebat præfa-
 tus Facultatis Syndicus.

§. CXXXII.

*Executio sententiæ a Parisiensi Se-
 natu pronuntiatae per Reginam
 impedita.*

Hoc comperto Jesuitæ nil intentatum, *Argentre*
 inausumque relinquebant, ut hujus *l. c. pag. 35.*
 sententiæ executionem præpedirent, *Gramont*
 & Societatem æque ac Bellarminum *l. c.*
 ab hac infamia vindicarent. Expedien-
 do autem huic negotio nullus aptior
 videbatur præter Sedis Apostolicæ Nun-
 tium, qui etiam ad eorum preces Re-
 ginam accedens, hoc Senatus Decretum
 Pontificiæ auctoritati oppido injuriosum
 esse exponebat. Hæc igitur die prima
 De-

(*) In suo libro *de fide hæreticis servanda.*